



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De corporali sacramento infuso, quod ablui non potuit, donec inclusa dubitans illud videret, cap. 22.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Hildebrandus sacerdos de Meschede iuxta Co-
uardiam, cum die quadam missam celebra-
ret, facta transubstantiatione, sanguinem sa-
cramentalem saepe dicto modo transformatum vi-
dit in calice. Volens tanti miraculi habere testes,
duos milites ex parœcianis suis, qui ibidem missæ
eius intererant, aduocauit: qui cum non vini sed cru-
oris speciem cum sacerdote vidissent, expauerunt val-
de, multum tamen confortati sunt in fide. **APOLLO-
NIVS:** Satis expeditus sum de sacerdote & circumstan-
tibus, sed miror si aliquando huiusmodi miracula
contingunt propter eos, qui præsentibus sunt. **CAE SA-
RIVS:** Etiam frequenter.

CAPVT XXII.

Sacerdos quidam in dicecesi Colonienfi qua-
dam die missam celebrans, iusto Dei iudicio
calicem cum sanguine in canone fudit super
corporale, quod statim humani cruoris cepit for-
mam: cumque dicta missa sacerdos nimis mœrens,
super calicem illud crebrius lauisset, rubeum colo-
rem abluere non potuit: tunc amplius territus, ora-
tiones omnibus suis parœcianis instituit, corporale
lauit, sed non profecit. Quo viso, tollens secum sacrum
lintheum, Rodolphum Scholasticum Coloniensem,
virum magni nominis, accersiu, casum exposuit, cor-
porale ostendit, & quod nullo liquore color ille
sanguineus abluui, nullaque arte siue oratione posset
deleui, contestatus est. Cui ille, sicut vir prudens, re-
spondit: Estne aliquis in parœcia vestra qui de hoc sa-
cramento dubitet? Respondit sacerdos: Est quadam
inclusa, quæ frequenter inde dubitat, ait ille: Oten-
dite illi, fortè idcirco Deus vestigia sanguinis in
hoc corporali deleui non sinit, quatenus eis visis, illa
in fide roboretur: quod cum factum fuisset, expauit
mulier & credidit, & Deus pristinum colorem in
lintheo reformauit.